

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXLI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CCXL.

(Philippo Marbachio.)

S. D. Reverende & Carissime compater.

Blennium ferè est, cum adjunctas literas, & libellos aliquot Historiæ Augustanæ Confessionis, vasi inclusos, Lipsiam misi, ut ad vos rectà mitterentur. Negligentia autem Typographi nostri & eorum, quibus negotium Lipsiæ commendarat, factum est, ut exacto anno primum resciscerem, adhuc Lipsiæ vasculum neglectum jacere. Ita ad me illud rediit. Ego usitato more neutraliter valeo. De vestra Schola & Ecclesia quotidie cogito, & DEUM oro, ut eam seruet & gubernet. Te nolim veteris amici & compatris tui prorsus oblivisci, sed de tuis rebus secundis, & toto scholæ & Reipubl. vestræ statu, ad me subinde scribere. Literas per cursores Pegasarios, Spiram ad D. Nicolaum Cifnerum Assessorem Cameræ semper mittere potes. Inde ad me singulis mensibus perferri poterunt. Heidelbergam invitator, & promisi, non simpliciter, ut ante 12. annos Argentinensibus, sed conditione addita, si à Principe meo impetrari dimissio possit. DEUM oro, ut nos gubernet & seruet, Amicos omnes saluto. Rostochii, 10. Aprilis, 1578.

David Chytræus.



CCXLI.

Concedit ad vos Spiccius, civis vester, eo quòd ob diuturnam ægritudinem, qua laboravit, muneris æconomico in Collegio nostro præesse non potuit, & jam Academia de successore sibi prospexit. Consilium ergo cepit, ut ad suos se conferat, quaesiturus opem & consilium, quo certè opus habet in afflictione sua & sperat aëris etiam mutationem, maxime cum in patrium transferatur, ad valetudinis confirmationem momentum habiturum esse. Si quid ergo, Vir Reverende & Charissime frater, præstare per te illi commode potest, rogo, ut consuetam charitatem in miserum declares. Vir bonus est & simplex & comiseratione dignus. Ecce verò, mi Reverende & Suavissime frater, quam non desinam affiduus esse & importunus interpellator, & onus addere oneribus, quæ sustines. Bene Vale cum Uxore, L. Erasmo & Ulrico, cujus adventum ad nos non desino expectare. Salutant te mei, quos nosti, amanter & salvos jube verbis nostris Collegas. Basileæ 6. Maji, Anno 78.

T. Sulcerus.

Cccc 3

CCXLII.